



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Thomæ A Kempis Canonici Regvlaris Ord. S. Avgvstini De Imitatione Christi Libri Qvatvor

Thomas <von Kempen>

Antverpiæ, 1617

Cap. V. De lectione sanctarum Scripturarum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45760](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45760)

tis. Quantò quis in se humilior fuerit, & Deo subiectior: tantò in omnibus erit sapientior, & pacatior.

## CAP. V.

*De lectione sanctarum Scripturarum.*

**V**ERITAS est in Scripturis sanctis quærenda, nō eloquentia. Omnis Scriptura sacra, eo spiritu debet legi, quo facta est. Quærere potius debemus, vtilitatem in Scripturis, quàm subtilitatem sermonis. Ita libenter deuotos & simplices libros legere debemus, sicut altos & profundos. Non te offendat auctoritas scribentis, vtrùm parua vel magna litteraturæ fuerit; sed amor puræ veritatis, te trahat ad legendum. Non quæras, quis hoc dixerit; sed quid dicatur, attende.

**2** Homines transeunt, sed veritas Domini manet in æternum. Sine personarum acceptione, variis modis loquitur nobis Deus. Curiositas nostra sæpè nos impedit, in lectione Scripturarum: quum volumus intelligere & discutere, vbi simpliciter esset trans-

*Pf. 116.*

*& Luca*

*21.*

*Rom. 2*

*& 10.*

*& Col.*

*3.*

transeundum. Si vis profectum haurire, lege humiliter, simpliciter, & fideliter: nec vniquam velis habere nomen scientiæ. Interroga libenter, & *Prou. I.* audi tacens verba Sanctorum: nec *¶ II.* displiceant tibi parabola seniorum, sine causa enim non proferuntur.

## CAP. VI.

*De inordinatis affectionibus.*

I. **Q**VANDO CVMQVE homo, aliquid inordinatè appetit, statim in se inquietus fit. Superbus & auarus, numquam quiescunt: pauper & humilis spiritu, in multitudine pacis conuersantur. Homo, qui necdum perfectè in se mortuus est, citò tentatur, & vincitur in paruis & vilibus rebus. Infirmus in spiritu, & quodammodò adhuc carnalis, & ad sensibilia inclinatus, difficulter se potest à terrenis desideriis ex toto abstrahere. Et ideò sæpè habet tristitiam, quum se subtrahit: leuiter etiam indignatur, si quis ei resistit.

2 Si autem profectus fuerit, quod concupiscit, statim ex reatu conscien-